

# ANALEKTEN.

## 1.

### David von Augsburg<sup>1</sup>.

Schriften aus der Handschrift der Münchener Hof- und Staatsbibliothek Cod. lat. 15 312 zum erstenmal veröffentlicht

von

Stadtpfarrer Dr. Ed. Lempp

in Neckarsulm (Württemberg).

## I.

### De officio magistri noviciorum. (fol. 93.)

Officium magistri noviciorum est regulam eis et constituta et legere et exponere et informare de moribus, scilicet qualiter sit in choro standum, cantandum, legendum, orandum, inclinandum, et exhortari valde debet eos ad confessionem, orationem et obsequia humilitatis, lotionem scutellarum et pedum. Idem moneat eos ut officium suum addiscant, horas beatæ virginis, capitula regulæ atque alia de horis canonicis, et ut libenter ad missam serviant, humiliter incedant tracta cuculla ante oculos, in choro et in mensa non circum spiciant nec judicent fratres, qui ad talia se non exponunt, quia si talia notaverint vexabuntur. Item confessiones eorum audiet ad minus semel in ebdoma, tenebit cum eis capitulum, eos de his quæ necessaria et convenientia eis fuerint informando. Item non loquantur extraneis nisi ipso

1) Vgl. E. Lempp, David von Augsburg. Eine Studie, oben S. 15 ff.



praesente vel alio fratre professo quem ad hoc deputaverit gardianus. Novicii multum assuescendi sunt ad ordinem et non saepe sint inter fratres nisi cum conferretur de aedificatione morum vel cum essent in aliquo labore scilicet purgando herbam vel hujus modi. Item vix audiantur loqui inter fratres. Item saepe dicant culpam suam in genibus suis, omni tempore et omni loco a quocumque redarguantur. Item rumores non audiant fratrum, ignorent, nihil dijudicent, statim obediant, interdum redarguantur et fiat eis verecundia in aliqua confusibili poenitentia, ut discant patientiam aliquando; tamen blande tractentur ne pussilanimes fiant, audacia in eis praee omnibus reprimatur et ideo non triumphetur cum eis; saepe confiteantur, delicati non sint, sanctum habeant si fieri potest magistrum, inter religiosos nutriantur.

### **Qualiter novicius se praeparet ad horam.**

Primo signo pulsato ad chorum novicius statim praeparet se ad chorum et quotiescunque intrat vel exit deposito capucio in medio chori contra altare reverenter inclinet et funde. Item statim cum chorum intraverit praeparet libros et postea ad loca sua reponat. Item ad missas libenter serviat cum omni diligentia et devotione. Item semper gustet de vino antequam praeparet calicem nec ibi aliqua negligentia fiat et serviat lotis manibus et mundis et non sine superpellicio. Item ad elevationem corporis domini caudalam accendat non super altare sed alibi si fieri potest ne impediatur sacerdotem. Item tempore hiemali praeparet sacerdoti carbones bene vivos et hoc ante introitum infra epistolam post offeritorium, post sanctus, post Pater noster, post communionem. Item quodcumque praecedat altare deposito capucio reverenter inclinet contra corpus domini. Item nunquam celebret vel communicet nisi facta prius confessione magistro suo, et consulo ut post celebrationem vel communionem conservi (?) se in gratiarum actione et in studio devotionis. Item raro per chorum discurrat nec nisi urgente necessitate. Item quaecumque legere debet vel cantare, prius praevideat. Item libenter jungat se ad librum et si credat se exterius scire psalmodias et alia, quae cantantur, ordinate cantet, ita ut nec alios festinando praecedat nec nimis tardando sequatur. Item horas beatae virginis et alia quae dicenda sunt, tractim dicat et devote et non solum ad suum versum sed et ad versum chori alterius attendat. Item ad gloria patri et quodcumque inclinandum est, profunde et reverenter inclinet et semper cogitet, quia dominus praesens est et angeli ejus quibus six inclinandum est reverentia exhibet. Item caveat, ne aliquando in choro dormiat ne diabolus ei dormienti aliquam illusionem immittat. Idem caveat ne fratres in suis orationibus



impediat scilicet respiciendo vel aliquo modo. Item sedens in choro sine strepitu levet et deponat. Item lumen in choro teneat ut in facies fratrum non resplendeat. Item extra sedes excreare studeat et in loco ubi fratres nec pedes nec vestimenta sua polluant. Item quandocunque in choro in aliquo errat, consulo ut statim humiliando se terram cum manu tangat. Quandocunque pulsatur primum signum ad missam sive ad collationem statim novitius expediat se et vadat sedere ubi fratres debent convenire. Item ubicunque sedet, si alius frater voluerit sedere iuxta eum semper humiliter eidem assurgat. Item in mensa studeat non hinc inde respicere sed eleemosynam cum gratiarum actione sumere et idem esse intentus deo vel lectioni. Item discipline comedat et non cum gulositate quasi saturari non possit, et habeat discretionem in comedendo et bibendo ita ut non gravetur nimis sumendo nec debilitetur nimis abstinendo. Item consulo ut semper vinum aliquantulum misceat. Item consulo ut semper post mensam in chorum vadat et ad orationem vel gratiarum actionem aliquamdiu studeat, nisi alias fuerit impeditus. Quandocunque pulsatur ad dormitionem, statim expediat se ad dormiendum. Item deponat se semper et surgat sine strepitu ne fratres per eum inquietentur. Item antequam dormire incipiat, semper studeat occupare cor suum cum bonis meditationibus, similiter postquam evigilaverit. Item si in somnis senserit aliquam malam illusionem vel pollutionem, magistro suo confiteatur, quae patitur. Item quando aliquis frater exierit, nihil in lecto ejus accipiat praeter suam licentiam vel camerarii. Item quandocunque ad cameras vadit, sic capucium ante faciem trahat, ut nullum videat nec ab aliquo videri possit. Item novicius valde sollicitus sit, ut statim libenter et hilariter obediat. Item regulam et constitutionem saepe legat, ut sciat, quid servare debeat. Item admonitiones sui magistri diligenter servet. Item saepe confiteatur ad minus tribus vicibus in hebdoma et studeat servare modum et tempus secundum quod instruxerit eum suus magister, et studeat semper devote orare et hoc a prima usque ad tempus prandii, a completorio usque ad pulsationem pro dormitione, post matutinas tamdiu, ut possent dici vigiliae cum IX lectionibus et hoc maxime tempore hiemali. Item diligentissime et frequenter studiat ad opera humilitatis scilicet serviendo ad missas, lavando scutellas et pedes fratrum, excutiendo tunicas eorum, legendo ad mensam et serviendo ad secundam mensam. Item dicat culpam suam libenter in capitulo fratrum de manifestis negligentis. Item dicta culpa statim exeat capitulum nisi jubeatur manere. Item in capitulo sui magistri, quando arguit humiliter dicat culpam suam. Similiter quandocunque arguitur flexis genibus studeat dicere culpam suam. Item raro sit inter fratres et si aliter



oporteat eum esse cum ipsis tamen pauca verba studeat habere. Item non iudicet facta fratrum nec alicui detrahat. Item cum nullo disputet nec aliorum disputationi se jungat. Item non loquatur alicui extraneo sine licentia magistri sui. Item studeat ad mores disciplinatos et maturos et incedat manibus ante se transpositis et vadat ordinate, non erecto collo, sed humeris humiliter compressis et oculis in terra dimissis, non currendo vel saltando nec cum strepitu calcando. Item loquatur sine motu capitis et extensione manuum et semper humili suppressa voce loquatur et non quaerat pro rumoribus nec aliis rumores referat. Item non rideat cum apercione dentium et irrisu; exaltare vocem diligentissime caveat. Item inter omnia studeat diligentissime ad ista VII: primo ad veram obedientiam, 2<sup>o</sup> ad puram et frequentem confessionem, 3<sup>o</sup> ad devotam orationem, 4<sup>o</sup> ad morosam disciplinam, 5<sup>o</sup> ad opera humilitatis, 6<sup>o</sup> semper fuge familiaritatem mulierum 7<sup>o</sup> ut eligat sibi fratrem cujus mores et conversatio prae ceteris ei placeant et iste semper sit sibi in exemplum.

Explicit primus liber fratris David minoris fratris.

## II.

Cod. lat. 15312 (fol. 195). (Traktat „de oratione“.)

### **Nota tres sunt species orandi**

omissis aliis quae possunt inveniri. Prima est communis et vocalis oratio, sicut cum dicimus horas canonicas vel alias speciales orationes ut sunt psalmi poenitentiales, vigiliis, cursus aliquos vel alias orationes ab aliquo dictatas et compositas, ut orationes Anselmi, Augustini et aliorum sanctorum. Iste quanto attentiori corde dicuntur tanto fructuosius laboramus, si tamen potest caput sustinere. Triplex est autem attentio una superficialis tantum, ut scilicet attendat qui dicit quem psalmum interim dicat vel quam antiphonam vel orationem. Fructus attentionis hujus est, quod non oportet eum repetere, cum sciat se dixisse. Pro labore autem corporis quem bona intentione deo orando obtulit quo se cogit servire deo mercedem qualemcumque merito exspectabit. Altera intentio est litteralis, quando homo sensum litteralem tantum attendit et quid exterius verba sonant. Hoc fructus est ut sonent in superficie devotiones, ut ibi miserere mihi deus et in similibus locis, ubi etiam ab illis illitteratis, si tamen verba intellexerent, aliqua devotio capitur. Sed illis verbis pertransitis ubi intellectus mutatur verborum et devotio refrigescit. Qualis enim devotio haberetur ex tali sensu in istis verbis? Qui emit fen. incon. inter memor. pertrans. etc., quae tamen omnia in sapientia facta sunt iuxta intellectum spiritualem. Tertia attentio



est intellectualis quando in verbo psalmodum affectus spiritualis ut cum historia exitus Israelitarum et plagarum Egypti refertur ad spiritualem ereptionem de peccato vel de saeculo et ad peccatorum submersionem in fluctibus compunctionis et daemonum cruciatus et multa talia. In tali attentione est maximus fructus. Secunda species orandi est cum homo familiariter cum deo propriis verbis confabulatur et sua desideria deo effundit vel suas necessitates vel defectus vel timores dum conqueritur et remedium et allegat cum deo hinc suas miseras et illinc dei misericordias (universale pro speciali, causa propria orat vel alterius vel pro caris suis rogat etc.) gemitibus et lacrimis si habet deum ad exaudiendum flectere conatur colloquens ei sicut amicus ad amicum vel servus ad dominum vel reus ad iudicem vel filius ad patrem secundum quod tunc afficitur magis vel magis sapit hominis [?]. Ista species orandi quanto est laboriosior et rarior tanto saepius invenitur compendiosior ad devotionem obtinendam et facilior ad impetrandum quod ex corde petitur. Majorem enim intentionem adhibet homo quando ex corde proprio loquitur cum deo et plus exprimit affectum cordis sui per verba propria quam per aliena. Tercia species orandi est quando mens illuminata a spiritu sancto et inflammata amore divino dominum familiariter amplectitur non solum quando est in loco orationis sed in hora omni et loco toto corde et toto amore intendit in deum quasi praesentem sibi et benigno favore eum prosequentem et paratum et exorabilem et se exhibentem sicut sponsa de sponso exultans in Cantico dicit: Dulcis meus mihi et ego illi. Tales semper habent corda ad dominum, semper parati orare pro omnibus et gratias agere, semper ad dominum pium gerentes affectum, in quo et suam conscientiam coram deo continuo discutiunt, quasi in speculo videntes quales ipsi se deo et qualem se deus eis exhibeat permixtum dilectionis affectum. Cumque in se aliquam culpamprehendunt, statim abluunt lacrimis poenitentiae et pura confessione, donec iterum servata conscientia benignum dei respectum se sentiant recuperasse. Iste modus orandi perfectior est licet alios duos priores suo tempore non obmittant. Prima species perducit ad secundam per frequentem usum, secunda ad tertiam. Tercia promovet ad puram contemplationem dei in qua gustatur et videtur quam suavis est deus. Ad hanc obtinendam ista sunt necessaria. Primo omni tempore mundam conscientiam habere ut nil permittamus in cogitatione et affectione scienter morari nil in lectione et opere indecens vel illicitum dominari. Secundo ad bona opera et virtutum studia prout curamus et possumus nos fideliter exercere. Tertio ab occupationibus superfluis et perturbationibus vanis et affectionibus levibus et inutilibus quietum custodire et orationi vacare et gratiam datam ab humanis laudi-



bus occultare et deum semper in mente meditando vel cogitando portare.

Explicit quartus liber fratris David.

### III.

#### **Expositio regulae** (fol. 266 ff.).

#### **Incipt expositio regulae edita a fratre David sanctissimo.**

Sanctus pater Franciscus, spiritu dei repletus desideravit a domino sibi revelari, quali via posset sibi perfecte secundum placitum suae voluntatis servire. Dominus autem ostendit ei, quod non solum sibi vivere deberet, sed et alios sancto verbo et exemplo trahere ad vitam, sicut et ipse dei filius ad hoc venit in mundum et cum hominibus conversari <sup>1</sup> dignatus est, ut multos servaret. Formam autem, secundum quam et ipse viveret et hi, per quos deo et alios lucraretur, ostendit illi ex dictis sancti Evangelii et ex his docuit eum conficere regulam paucis quidem sermonibus sed profundo summarum intellectu contextam. Tribus autem de causis ordinem istum deo revelante instituit. Primo ut esset portus salutis naufragantibus in saeculari pelago ut qui sine periculo non possunt in saeculari conversatione subsistere ad hanc ordinis naviculam confugiant ut et salventur. Secundo ut esset desiderantibus ad altioris praemii gloriam pertingere, quam communis multitudo salvandorum assequatur, schola exercitationis in arduis virtutum studiis scilicet paupertatis, humilitatis, castitatis, obedientiae, patientiae, caritatis, internae devotionis et oportunitatem habent, qui voluerint, in isto ordine magis quam alibi, si fideliter ad hoc laborant, sicut ostendunt plurimi in ordine sanctificati et ad indicium suae sanctitatis gloriosis miraculis corruscantes, quorum pauci generaliter canonisati sunt in ecclesia, reliqui vero non inferiori gloria fulgent in celo. Tertio ut ordo iste etiam aliis sit in aedificationem per praedicationis doctrinam et vivendi exemplum et orationis suffragium, ut hoc temporali funiculo, qui difficile rumpitur, peccatores extrahant fratres de luto faecis et ad coelestia secum ducant. In cujus rei indicium fratres funiculis cinguntur, quibus ipsi cum sponsa trahi se post Christum sursum postulant, ut alios secum trahant. Nemo enim potest venire ad Christum nisi tractus a patre. Secundum autem testes institutionis causa congrua dedit in ipsam regulam correspondenda statuta scilicet praecepta salutis, consilia evangelicae perfectionis, officium praedicationis et exempla aedificationis. Voluit autem tantum esse XII capitula regulae secundum nume-

1) Ms. conservari.



rum XII apostolorum vel XII portarum Hierusalemitarum, quae in apocalypsi Johannis mystice describuntur, ut sicut per apostolos fundata est ecclesia, quam per has XII portas ingreditur supernam Jerusalem, secundum singulorum meritorum distinctionem. Ita per regulam istam fratres aedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum per observantiam istorum XII capitulorum quasi per portas coelestes ingrediantur. Coepit autem ordo iste fratrum Minorum quasi anno domini 1209, conversionis beati Francisci ad dominum anno tertio, sub domino Innocentio papa III, qui ordinem approbavit et regulam ei concessit, quam eis dominus Honorius papa III scilicet additis quibusdam necessariis consummavit, bullavit et registravit perpetuo permansuram. Hujus igitur regulae expositionem sicut a pluribus ministris meis tam generali quam provincialibus audivi compendiose mihimet notare curavi, tam secundum declarationem domini Gregorii et Innocentii paparum, quam secundum elucidationem generalium capitulorum per constitutiones generales, quam etiam secundum Traditionem seniorum nostrorum, qui sub temporibus S. Francisci sic viderunt in ordinem eam servari et illam observantiam ad posteros transmiserunt. Quod autem beatus Franciscus in testamento suo prohibet glossas in regulam mitti sed sincere sicut ei deus revelavit eam voluit intelligere, non est de omni expositione accipiendum, quia si ipse beatus Franciscus hic viveret et rogaretur an non intelligentibus sibi exponi regulam necesse haberet per aliquas verborum interpositiones eam exponere et in lucem ponere quae obscura viderentur ut fierent intelligibilia, sed de illis glossis prohibuit quae sensum litterae per subtilitatem disputationum a sua puritate distrahunt et ab intentione beati Francisci, immo a spiritu [*qui eam*] <sup>1</sup> inspiravit, sicut patet in ipsa littera, cum vix aliquod verbum ibi sine pondere positum sit, sed omnia sapientiae spiritualis exuberent doctrina. Prologo igitur domini papae Honorii praetermisso a primo capitulo incipiam sincere, sicut aliis laicis fratribus vel noviciis exponere consuevi.

**In nomine domini. Incipit regula et vita fratrum minorum.**

Cap. I.

<sup>2</sup> *Regula et vita fratrum minorum haec est regula rationem dirigens ad viam justitiae, vita vivificans, vita gratiae, per quam ratio incessu ad vitam perducitur eternam, minorum fratrum hu-*

1) ist zu ergänzen.

2) Der Wortlaut der Ordensregel ist hier durch Kursivdruck hervorgehoben.



militate et caritate insignitorum, de quibus in iudicio Christus dicturus est Mtth. 25: Quod uni de his fratribus meis minoribus feceritis, mihi feceritis etc. Hoc est *sanctissimi domini nostri Jesu Christi sanctum evangelium observare* tam in praeceptis canonibus, quam in consiliis voto professionis comprehensis scilicet *vivendo in obedientia superiorum secundum formam regulae, sine proprio* tam in singulari quam in communi omnis rei mobilis seu immobilis temporalis, *et in castitate actionis et voluntatis aliorum sine quibus caste non vivitur . . . . .*

### Quod fratres non recipiant pecuniam.

#### Cap. IV.

*Praecipio non leviter loquendo, sed firmiter in virtute obedientiae fratribus universis tam magistris quam subditis sine alicujus exceptione ut nullo modo nulla via vel arte denarios vel obolos seu assignates vel pecuniam sub qualem speciem recipiant jure possessionis seu proprietatis per se personaliter vel per interpositam personam, quae nomine ipsorum servet sicut procurator domino suo res ejus conservet, unde quia saepe aliquibus indigent quod commode sine pecunia non possunt habere, semper ut pro necessitatibus infirmorum fratrum et pannis et aliis fratribus quibuslibet induendis quae pro Christo aliarum necessitatum similiter exprimuntur per amicos spirituales qui pro domino nos amore diligunt speciali et si secundum carnem aliquos in ordine propinquos habeant. Ministri tantum et custodes, sub quibus nominibus sunt etiam gardiani intelligendi quia olim etiam ipsi vocabantur ministri in ordine sed propter officiorum postea duritiam ex usu linguae latinae gardiani dicti sunt, id est custodes fratrum sibi commissorum; isti inquam tantummodo sollicitam curam gerant de procurandis praedictis necessitatibus fratrum et hoc per amicos familiares, quibus mediantibus elemosyna fratribus oblata caute salva regula pro hujus necessariis promonenda, cum oportunum fuerit, convertatur secundum loca et tempora ubi et quando talia magis oportet procurari, quia, nisi certo tempore procuratur, alio tempore non habebitur et in uno loco necesse est aliud concedi, quod in alio non oportet, et secundum frigiditas regiones ubi in vestitu potest alium aliquid indulgeri quod non liceret alias, sicut necessitati viderint expediri vel communi vel speciali. Quod autem dicit ministros tantum et custodes debere sollicitam curam gerere de provisione necessitatum, duo innuit observanda: unum quod non quilibet pro suo sensu aut pro libitu debet videre sive judicare, quo ipse vel alii indigeant pro necessitate, sed rectores debent solliciti esse quid cui detur; alterum, quod nullus alius debet aliquid petere, re-*



ponere, distribuere nec emere nec immutare sine ministri sui vel custodis commissione vel libera concessione, cum illorum tantum sit secundum regulam sollicitam curam gerere, quo quisque indigeat et qualiter hoc caute et sine scandalo et sine transgressione praecepti istius de non recipienda pecunia congrue procuretur. Possunt etiam aliquando aliis committere, ut pro aliqua utilitate communi vel speciali procurent, sed ista tria nequaquam a sua sollicitudine relinquunt videlicet ut videant quid expediat acquiri vel procurari, item ut honeste et sicut decet petatur et procuretur vel aquiratur unde est solummodo facienda, item ut caute sine transgressione regulae deponatur pecunia pro fratribus oblata atque distribuatur. Hoc enim notantur in verbo illo quod de necessitatibus fratrum induendis ministri tantum et custodes sollicitam curam gerant, ut aliis quandoque actionem committant, sed ipsi soli vel maxime praedictae sollicitudinis curam gerant *eo semper salvo ut sicut dictum est denarios vel pecuniam non recipiant*, ut proprium et suo dominio subjacentem.

### Expositio bona.

Quia circa hujus capituli intellectum conscienciae multorum maxime sunt perplexae, ideo ejus discussioni latius immoremur, quid secundum primorem intellectum liceat seu non liceat considerantes. Aliquibus enim minus intelligentibus videtur quasi non intelligibile, dum idem videtur prohiberi et concedi et non sit aliquo modo recipienda pecunia et tamen aliquo modo necessaria procuranda. Aliis autem videtur quasi inobservabile et ideo periculose, foveri, quod nullatenus posset observari, ubi oportet plura per pecuniam procurari. Tertiis autem videtur esse quaedam delusio, profiteri se nolle recipere pecuniam et tamen omnia necessaria per pecuniam procurare. Quarti vero ita libere petunt pecuniam, recipi faciunt, mittunt, committunt, distribuunt, ac si nulla prohibitione super hoc per regulam sint artati, cum non incassum sit tam distinctum praeceptum de hoc expresse formulatum. Primi duo debent advertere quod sedes apostolica, quae omnia solet cum matura deliberatione facere maxime tam ardua, sicut est approbatio et confirmatio regulae tanti ordinis, nequaquam hoc fecisset, si in ipsa regula aliquid non intelligibile vel inobservabile perspexisset. Tertii sciant multa esse aliis perspicua et plana quae quibusdam videntur non intelligentibus quasi illusoria et obscura. Quarti discant quod in alto praecipio et angusta semita caute praevidere oportet incedentem ubi tute possit pedem figere si vult periculosam evadere ruinam. Angusta semita est istud distinctum praeceptum, ruina gravis mortale peccatum, altum praecipium de celo in



infernum. Sanctus vero pater Franciscus spiritu divino repletus non intendit fratribus hoc laqueo perditionis nocere, sed vias avaritiae voluit per hoc aliquatenus obstruere, ut quo angustior esset eis aditus ad regulam et quo difficilius observantia praecepti, eo magis meritum. Cum expresse prohibeat pecuniam aliquomodo recipere per se vel per interpositam personam et tamen per amicos spirituales concedat ministris et custodibus curam fratrum suorum in corporalibus gerere necessitatibus, innuit mediam viam quandam esse quaerendam atque tenendam ex tali concessione fratribus licitam atque inter rigorem ac libertatem sic temperatam qua sic necessaria congrue procurantur ut tamen transgressio regulae declinetur. Sciendum autem quod olim in primis temporibus regulae, quando amor paupertatis magis vige-  
bat et fervor devocionis in studiis spiritualibus amplius calebat et timor transgressionis sensibilis pungebat, valde strictius ac per hoc cautius et purius hoc capitulum regulae cum aliis generaliter servabatur, quia sanctus Franciscus singulariter execrabatur, ejus transgressores, reputans pecuniam esse religionis cujusque praecipuam corruptelam et omnis vitii originalem causam. Sed cum modo multo latius servetur tam ratione multitudinis ac debilius fratrum, qui rigorem primum facere non valent, quam ratione studii et diversorum attinentium et edificiorum, quae plura requirunt conquirenda, ut tamen aliqua in his cautela servetur, et quibus nolunt carere fratres ut illa aliquomodo licite procurent, quamvis multo esset securius, qui posset ab omni se pecunia elongare, quatuor viae videntur mihi in his tenendae quae ad penitus consideranti occurrunt. Qui in his magis diligens est et intelligens, plures et meliores vias poterit reperire: prima est qui vult dare fratribus eleemosynam pecuniae, emat eis vel comperet per se vel per nuntium aliquem, quibus tunc indigere videntur, et si nuntium non habent, possunt ei fratres aliquem pro nuntio assignare, vel aliquis amplius potest in hoc pro deo se ei pro nuntio offerre. Secunda est ut solvat pro eis si qua debita contraxerint vel in parte vel in toto vel per nuntium. Tercia est ut servet apud se vel apud suos quousque aliquo indigeant et requirant. Quarta ut committat alicui amico fratrum vel deponat apud eum, qui vice sui fratribus inde provideat tempore suo, cum indigerint et requisierint. Et licet posset quilibet in hac parte vicem suam committere, tamen si committit illam eleemosynam amico vel procuratori fratrum, simpliciter intelligitur etiam ei committere ut vice sui eam in utilitatem fratrum<sup>1</sup>. Procurator non recipit in persona fratrum sed in persona gerentis vicem illius, qui dedit eleemosynam, vel illo-

---

1) Zu ergänzen convertat.



rum, qui ei procurationis officium commiserunt, qui scilicet curam fratrum talium pro deo assumpserunt, quod eis ex toto vel ex parte de suis vel etiam alienis eleemosynis per se vel vicarios velint, in necessariis providere. Et secundum hoc potest dominus papa qui est generalis omnium pauperum Christi provisor, aliquos constituere vice procuratoris fratrum, quos ipsi elegerint, qui recipiant oblata pro fratribus et distribuunt, secundum quod ipsis fratribus videbitur convenire et hi gerunt in hoc vicem ipsius, qui eos instituit. Idem posset et dominus noster cardinalis cui a sede apostolica gubernatio ordinis est commissa, idem posset et episcopus loci ubi fratres morantur cum sit provisor pauperum suae dioecesis generalis. Idem posset et dominus terrae vel villae illius qui curam fratrum taliter pro deo sibi vellet assumere. Idem posset et communitas civitatis vel opidi cujuscumque sicut solent quandoque conficere Xenodochiae vel hospitalia et committunt alicui vel aliquibus experte sui habere curam illorum et oblatam eleemosynam recipere et pro necessitatibus pauperum dispensare. Potest etiam quisque fidelium se per se vel rogatus a fratribus ad hoc pro deo offerre, ut sicut dictum est, eleemosynam pro fratribus oblatam vice illorum, qui dant, servet et distribuatur pro necessitatibus fratrum, et in hac procuracione procurator gerit negotium illorum, qui dant eleemosynam, itaque, qui sibi commiserunt procuratoris officium, et fratrum, quorum necessitatibus sic providet, vel etiam creditorum, si ab eo expendant recipere, quae fratribus commode daverunt quasi ipsorum nuntius vel fidejussor fratrum. Pecunia vero procuratori cuilibet vel nuntio sic commissa non est fratrum, cum nolint esse suam et ipse servat eam nomine tantum vel eorum, a quibus est, constitutus, vel creditorum, ut dictum est, qui debitum sibi ab eo expetunt loco fratrum. Etiam si ille, qui dat eleemosynam moriatur vel ita eximat se ab ea quod jam non ut suam deputet pecuniam, quam dedit pro fratribus, non tamen est ideo fratrum dicenda quasi non habens alium dominum, cum nolint habere ius proprietatis in ea, sed habet se aliquomodo per modum legati vel testamenti, quod mortuo testatore transit in domicilium executoris, non ut sibimet retineat, sed ut secundum ordinationem testatoris distribuatur. Sed fratres non possunt ab eo jure petitorio vel possessorio exigere, cui commissa est talis pecunia, cum nihil habeant in ea proprietatis sed tantum rogando ac monendo vel informando et necessitatem suam ei insinuando, non imperando, humiliter ei dicere: „Talibus indigemus vultisne procurare nobis ista ex eleemosyna vobis commissa?“ Qui si forte aliquid ex tali eleemosyna fraudaret, non possunt eum fratres super hoc impetere quasi sua eis subtraxerit, sed monere quasi alium peccatorem aut illis signare, qui eleemosynam ei commiserunt seu pro-



curatorem eum constituerunt. Et illi causam suam prosequantur si volunt vel dimittant. Item et de quolibet nuntio qui eleemosynam pecuniae pro fratribus commissam servat. Nam quod meum non est non debeo repetere quasi meum. Cum autem eleemosyna pro fratribus deponatur ad certum usum assignanda utpote pro libro, veste vel alio, non possunt fratres eam ad alium usum retorquere sine voluntate dantis expressa vel tacita, cum non sit ipsorum talis pecunia sed dantis, quamdiu non est commutata in rem aliam, quam fratribus licet habere, ut librum, vestem vel alia. Mutuum quoque non possunt fratres directe contrahere, cum nunquam sint habituri pecuniam, unde solvant, nisi sub hac forma, quod fideliter laborabunt debita sua creditori restitui et oblatas pro se eleemosynas ei faciant assignari. Potest tamen procurator vel alius pro fratribus fidejubere sub spe hujus solucionis. Si qui fratres aliquando habuerint vel receperint, quae vendi debeant, ut vestem vel librum et hujusmodi, istae viae in hoc servandae sunt, aut ut illae res committentur pro aliis, quibus indigent, ut non interveniet pecunia alioquin, sicut illae res erant fratrum, quae venduntur, ita et pecunia pro qua venderetur, quod fratribus non licet, aut assignantur creditoribus pro solutione debita iuxta valorem suum aut dentur alicui simpliciter, qui fratribus de rebus aliis, quibus indigent, tanti valoris pro illis aquirat non habito regressu ad pecuniam sed ad res alias sibi reddendas. Et ille postea faciat de rebus prioribus, quod vult, ut de suis. Si frater vendit fratri librum vel simile non dicitur proprie emptio vel venditio, ubi sunt omnia communia, sed de licentia superioris assignat ei librum commissum ut per amicos familiares provideat ei in alio tanti vel tanti valoris. Sed ut caucius agant fratres de pecunia, semper debent providere quod habeat alium dominum quam fratres, verum vel interpretatum: verum ut ille, qui dat, vel committit eam alicui ut inde vice sui fratribus necessaria procuret, interpretatum, ut ille sibi committitur a dante vel illi qui curam fratrum ita suscipiunt ut per se seu per alios eleemosynam pro fratribus oblatam in utilitatem eorum convertant, ut supra positum. Sicut autem dans fratribus eleemosynam potest alteri vicem suam committere, ut inde fratribus procuret, quibus indigent, cum per se ipse non vult vel non potest hoc facere, ita et illi, quibus hoc committit, possunt, si volunt, ulterius vices suas committere aliis, donec id quod primus disposuit explicite vel implicite, de tali eleemosyna perficiat, et omnes, per quorum manus illa pecunia sic medio tempore transerit, vicem gerunt illius dantis et illorum, qui sibi eam commiserunt pro utilitate fratrum ex inde procuranda. Nam si propria negotia solent plerique aliis comittere et eos per diversos mediatores longe vel prope expedire, cum voluerint, cur non et aliena similiter possint per



alios procurare? Qui aliis religiosis seu pauperibus quibuslibet pecuniam recipere largitur eleemosynam, nihil amplius quaerunt ab eo, quia semetipsis inde procurant ut placet. Sed qui nobis largitur eleemosynam pecuniae, necesse est etiam, vel per se vel per alios procuret ut eadem pecunia convertatur ex parte sua in nostram utilitatem, sic ut non in nostram transeat proprietatem, licet id quod inde procuratur in nostrum usum proveniat. Aliud est enim fratribus dare pecuniam ut ipsorum sit, et secundum hoc non licet fratribus recipere pecuniam per se vel interpositam personam. Item aliud est pro fratribus dare alteri pecuniam committendo eam alicui qui fratribus aliqua necessitate per ipsam procuraret vice ipsius dantis, et illa quae sic procurata inde fuerint, bene licet fratribus recipere ut victum, vestitum, libros et edifica et talia, et quamvis proveniat utilitas de pecunia procurata in usum fratrum, ipsa pecunia tamen non est fratrum, cum nolint eam esse suam, sicut pisces in retibus captos bene recipio, ipsa tamen retia mea esse nolo. Et sic de multis similibus exemplis. Et quia plures nesciunt dantes nobis eleemosynam secundum istam formam nobis providere, necesse est nobis, nos eos informare sub tali cautela, qua et procurentur congrue ea quibus indigemus et tamen transgressio regulae diligentissime caveatur. Quamvis inde saepe dantes nobis eleemosynam nesciunt ista discernere etiam informati, sed simpliciter credunt se fratribus dedisse pecuniam, tamen cautela fratrum, qua nolunt ea esse sua, et interpretiva dantis intentio, qua intendit, eam ita dare, sicut magis congruit fratribus ratum habens et gratum, si fratres cautius eam deponi faciunt, quam ipse sciat committendo, explicare ista faciunt illam pecuniam non esse suam. Et maxime procuratori providendum, qui recipit non nomine fratrum, sed nomine dantis ut ejus vicem gerat in procurandis ex ea necessitatibus fratrum, vel nomine eorum, qui eum vice sui procuratorem fratrum instituerunt, ut saepe dictum est. Ubi autem aliquis nequiter intenderet, fratres efficere transgressores regulae volentes eis tantum dare pecuniam et facere eos dominos pecuniae, et hoc eis constaret, nec debent recipere nec permittere pro se recipi tali modo. In tali enim negotio, in quo mors eterna per mortale peccatum insidiatur, qui non studet esse cautissimus, aut non habet timorem dei et amorem in se aut etiam nimis stulte praesumptuosus est et cito [in] immane praecipitium pedem ponit et omnes labores suos in religione quoad meritum gloriae cassos reddit cum per regulae transgressionem, quam novit, spatium salutis amittit. Sicut autem pecunia, quam mihi aliquis dare disponit, non est mea, prius quam mihi eam assignaverit, ita etiam non est mea, quando eam procuratori suo committit ut inde vice sui aliqua mihi procuret. Sic non est fratrum pecunia taliter pro-



curatori commissa, quia non ipsa, sed res pro ea acquisita transit in possessionem fratrum. Forma autem ista non est dicenda esse delusio consciencie seu varia confictio sed est provida irrationalis observantie circumspectio, qua sic media via intendit ut necessaria, quibus tanta multitudo fratrum carere non potest, procurentur, et tamen contra prohibitionem regulae pecunia a fratribus non recipiatur, ubi tamen actus et verba et intentio non discrepant ab ea. Nam quandoque sola intentio discernit actus licitos ab illicitis ut si quis pretiosum munus dederit alicui ob dilectionem ipsius simpliciter, qui contulit sibi spirituale beneficium vel mutuavit sibi in necessitate pecuniam, ubi pura intentio sola excusat actum illum ex una parte a crimine symoniae ex altera ab usura et sicut in aliis plurimis invenitur. Eodem modo et de praedicta formula non recipiendi pecuniam a fratribus aestimandum firmiter autem sperandum [?]. Et qui cautus esse studet in observantia regulae sive in hoc capitulo specialiter sive etiam in aliis, plus meretur apud deum, quam in aliis pluribus bonis operibus, quia nullum deo gratius servitium quam id studiose implere, ad quod quisque maxime tenetur. Sed plerique majorem saepe vim faciunt in modica rubrica ordinarii quam in incauta et contra regulam contractione pecuniae in acquirendo, servando, mittendo, distribuendo, quasi nullum super hoc praeceptum in regula datum sit, juxta id Matth. 23 Decimatis mentam et rutam et reliquistis quod graviora sunt; leguntur excutientes culicem et camelum glucientes. Tales etiam hypocritae a domino nominantur et sine causa deum colere commemorantur Matth. 15. Quamvis autem verba, quibus utuntur fratres petendo eleemosynam et committendo seu distribuendo, non habeant vim jubendi vel praecipendi, sicut jubet dominus servum suum recipere vel servare vel dispensare pecuniam suam, sed tantum habeant vim informationis vel petitionis vel insinuationis, ut hoc detur eis vel procuretur, quia his vel his indigent vel similia, tamen pro majori puritate consciencie et ut alii intelligant formam cautelae suae, ne judicent eos transgressores regulae et sic scandalizentur de ipsis, expedit etiam ut cautioribus verbis in his utantur et magis cum intentione pura consonantibus, cum ex abundantia cordis os loqui dominus prohibeat, videlicet ut caute et viriliter aut considerate et seriose et non periculose; mors enim et vita in manibus linguae. His ergo verbis vel aequipollentibus possunt fratres uti in petendo eleemosynam pecuniae sive in committendo seu in transmittendo vel distribuendo aut debita persolvendo, singulis horum competentia verba, sicut exiget necessitas adaptantes, verbi gratia. Ad dantes: Rogamus ut subveniatis nobis in his comparandis vel debitum persolvendis. Item mittite istud per nuntium talem illis quibus tenemur vel qui nobis ista vice vestri procurent vel qui tantum



de his quibus indigemus nobis dent pro eis. Ad internuntios: defer ista experte tali personae ut vice tui vel domini tui nobis ista cum indigemus nobis procuret. Ad procurantes: Istud committit tibi talis persona ut vice sui illa nobis inde vel ibi seu taliter facias procurare. Nuntio: Dic tali personae ut mittat per te illa quae promisit et hoc nobis ex parte eius inde procuretur. Creditori: Istud mittit tibi talis persona vel alii homines pro solutione eorum quae tibi debemus. Item internuntio: Dic illis hominibus ut per talem nuntium mittant ea quae dabunt pro nobis hii qui vice ipsorum procurent quibus indigent. Isti sunt modi quibus possunt fratres offendere contra regulam in receptione pecuniae: si sine voluntate sui ministri, custodis vel guardiani, quibus tantum conceditur in regula sollicitam curam habere procurandorum necessariorum, quis peteret, deponeret, distribueret pecuniam. Item si cum scandalo et irreligiosa importunitate acquireret eam vel peteret. Item si ad tales usus distribueret, ad quos illi, qui dant, nollent distribui, si scirent. Item si ita sibi eam appropriat quod dominium pecuniae principaliter residet apud eum. Item si eam recipit et tribuit vel distribuit sicut suam. Item si nimis sicut eam vel diligit et sollicite custodit et amissam inordinate luget et circa eam nimis corde vel opere occupatur. Cupiditas enim et indecens usus pecuniae maxime est in vitio et praecipua causa inhibitionis recipiendi eam et habendi. Quod autem regula rectores animarum in ordine ministros et custodes appellat, non est vel profana vel vana vobum novitas ut quidam asserunt, sed usitata in scripturis sacris appellatio in exemplum id: Matth. 23, Qui major est vestrum erit minister vester. Cant VIII, 11: Vineam fuit pacifico meo et tradidit custodibus. Ministri autem dicuntur ratione laboris et humilitatis, custodes ratione circumspectionis et sollicitudinis erga sibi commissos. Nomen vero gardiani postmodum introductum est ex idiomate romano ad differentiam diversitatis officiorum compendiosius nominandum. Sonat autem id quod custos, animarum enim custodia dignior est quam quorumlibet thesaurorum.

#### Cap. V.

#### De modo laborandi.

.... Nam et liber est corpori necessarius, eo quod visus, quo legitur, corporis est sensus et ita de similibus sciendum praeter denaria vel pecuniam, de quibus si offerantur pro mercede laboris illa cautela servetur ac si gratis in eleemosynam offerantur....



## Cap. VI.

**Quod fratres nil sibi approprient et de eleemosyna petenda et de infirmis fratribus.**

*Fratres nihil sibi nec in singulari nec in communi approprient jure proprietatis ac perpetuae possessionis nec domum in qua habitant aut aliam nec locum sibi conjunctum vel remotum nec aliquam rem temporalem mobilem vel immobilem, ut nihil nisi commodatum habeant et concessum aut ab illis qui sibi dominium retinent in illis rebus, quas fratribus concesserint ad usum ad tempus, vel perpetuo quamdiu fratres indigent ut in locis vel domibus, in quibus morantur, aut a domino cardinali, qui fuerit ordinis gubernator, ad quem spectat dominium illarum rerum, quibus ordo utitur, tam locorum quam aliorum mobilium quae alium non habent dominum ut dictum est, ita quod sine illius licentia nihil possunt talium ab ordine alienare sed in ordine his uti possunt secundum superiorum suorum licentiam et jussionem tamquam commodatis et concessis et continuo resignandis. Sed tamquam peregrini ad primam expedite properantes et advenae nil hereditatis habere se profitentes in hoc saeculo, in quo nunc sunt quasi exules in paupertate rerum temporalium et humilitate cordum et morum domino, cujus servos professi se esse sunt, famulantes cum omni sinceritate vadant pro eleemosina quotidiana personaliter, ut mendici confidenter securi, quod sic placeat deo. Hic advertet, quod sanctus Franciscus per spiritum prophetiae praevidebat illos qui dicerent quod mendicare pro domino sit damnable his qui pro ipso omnia relinquunt, sed non debent hoc timere coram deo nec etiam oportet id est non est necesse eos verecundari de mendicando coram hominibus. Quia dominus universorum pro nobis ad sui imitationem provocandis se fecit pauperem ei mendicum, in hoc mundo factus est homo, unde non est servo confusio, domino suo in hoc simulari, immo gloria magna ei est sequi dominum. Haec voluntaria mendicitas et evangelica paupertas est illa celsitudo ad culmen perfectionis attollens altissimae paupertatis paucissimis attingibilis ut rarus sit qui arcanum virtutis ejus agnoscat. Alta paupertas est, quae nihil in speciale proprium possidet, sed in communi terrenas habet possessiones et perpetuos redditus praebendarum, ut in claustris, ubi tantum secundum regulas paupertas vovetur. Altior paupertas est qui redditus possessionum non habet sed congregat in longum tempus unde vivat ut formica quae<sup>1</sup> salomonem congregat in messe quod comedat per annum vel ultra. Altissima paupertas est quae sicut volatilia, cum non seminant nec metant*

---

1) ergänze: secundum.



nec congregant in horrea, necesse habent quotidie mendicando vagari et de celestis patris providuo victu continue praestolari. *Quae vos carissimos fratres* imitari! Sancti Francisci fratres sunt, qui alia regulae instituta secundum formam communem in violabiliter observant, sed ubi licite possunt rigorem ejus dispensatorie sibi temperari gaudent, tamen propter statum salutis cari deo et sancto Francisco veraciter aestimantur. Cariores autem sunt qui ferventiores devocione in quarumlibet virtutum exercitiis se student eis imitabiles exhibere, desiderantes ad primam puritatis perfectionem universaliter revocari, licet pro condescensione infirmorum se patienter contemperent mediocritati eorum. Carissimi vero sunt qui affectu et actu vestigiis sanctissimi patris fideliter inhaerentes altissimae paupertatis limites nec pro se nec pro aliis in aliquo patiuntur excedere atque omnis perfectionis ejus semitas ferventissime aemulantur. Quae paupertas vos non solum sicut ceteros salvandos ex gratia participes sed ex jure paternae similitudinis *heredes et reges regni celesti instituit*, sicut reges totam regni gloriam possident, ceteris quibuslibet sua portione contentis . . . . .

Tunc non essemus sub sancti Francisci regula, si ejus non teneremus statuta vel instituta, sicut non est sancti Benedicti discipulus, qui non ejus regulae statuta sed aliam quamcumque sectatur. Hujus autem observantiae puritati omnino contrarium est recipere domos vel loca ubi fratres non resident mediantibus procuratoribus nomine ordinis sub annuo censu, vel si eis distinctis areae vel alia pro fratribus inde procurantur, quia secundum hanc viam possent fratres omnia recipere indifferenter quae offerrentur, hortos, agros, vineas, villas, castra, servos, ancillas, greges pecorum et similia et sic non differret hujus ordinis paupertas ab aliis qui possessiones recipiunt, cum nil recusaret accipere quod daretur, et altissimae paupertatis professio longe extra terminos debitos exularet. Non enim sunt pauperes spiritus qui non habent divitias, sed qui nolunt habere, quae illius professioni sunt contraria etiam si commode et quoad homines honeste possint habere. *Et ubicunque sunt et se invenerint fratres* in domo vel in via cujuscunque sint generis provinciae seu conditionis *ostendant se affectu et opere domesticos inter se* sicut unius domus familiam et unius muneris filios ac patris et unius hereditatis consortes. *Et secure* absque timore vel pudore *manifestet unus alteri* qui debet et potest sibi subvenire *necessitatem suam* indignatione necessitatis imminens ut sicut congruum fuerit pro posse subveniatur ei in caritate. *Quia sicut mater diligit affectu et nutrit effectum filium suum carnalem* seu carnem de se genitum *quanto diligentius debet quis diligere et nutrire fratrem suum spiritualem?* ubi et propinquitas nobilior est sicut spiritus carne nobilior et



tam dignior sicut caritas spiritualis et amplius praemium regni celorum (?). *Et si quis eorum sive superior sive inferior quilibet conditione in infirmitatem quamcunque ceciderit*, tum omnis cura sit in infirmis et pietas adhibenda, quia afflicti non valent sibimet subvenire; *alii fratres* ad quos cura spectat infirmorum *debent eis* ex officio suo et ex mandato dei *servire* tam in obsequiis quam in expensis necessariis *sicut vellent*, si et ipsi essent infirmi, ab aliis *sibi serviri* studiose, benigne et caute, ne noxia eis concedant. Infirmi vero recognoscant in infirmitate sua paupertatem se esse voluntariam professos, unde non ea importune a fratribus exigant, quae paupertatis eorum excedunt mensuram in pretiosis medicinis vel aliis solatiis, quae divites hujus saeculi, qui diu optant vivere, solent habere. Nos autem magis desiderare debemus ad patriam citius transire quam hic diu teneri. Vidimus tamen aliquando etiam inter religiosos, qui se quod dominum non minimi meriti aestimabant, quosdam ita postponere curam fratrum suorum debilium et infirmorum, quod vix patienter eos secum in domo tollerabant propter modicas expensas vel laborem eis ministrandi, qui si ipsi essent infirmi congruum reputarent quidquid humanitatis in hac parte sibi ab aliis impenderetur. Et tales plerique leviter incipiunt ut pro aedificio vel alio quocunque faciendo quoslibet magnos sumptus consumant, pro quo tamen ignorant, an praemium vel supplicium a Deo recipiant, sed pro multo minoribus sumptibus, cum infirmis et debilibus expensis queruntur, domum nimis esse oneratam, eleemosynas non sufficere, debita accrescere, quasi infirmorum deus oblitus omnes eleemosinas pro solis sanis ei robustis ministret fratribus, vel quasi solum hoc sit justum et secundum ordinis justitiam, ut conventus et hospites sani et fortes bene procurentur et infirmi et debiles contemnantur, cum econtrario caritas ibi major appareat, ubi secundum dei praeceptum et regulae mandatum expressius exerceretur, comminante iudice pro hoc specialiter ignem eternum damnandis, quod ipsum in fratribus suis minoribus infirmis non visitaverunt, quem apertius tangere quam qui ex professione regulae id sortitur. Infirmum visitare est non solum praesentialiter videre, sed etiam benignis verbis consolari et obsequiis fovere et patienter supportare et necessariis remediis pro posse recreare. Hoc non facit qui etiam infirmitatem a domo excludit et meritum similis (?), cum occasionem habere poterat, amittit, cum tamen infirmi nostri et debiles et senes sint nostrae verecundiae tegumentum, in eo quod junioribus et robustis et sanis magna foret verecundia, quaerere vel uti delicatis cibus et potibus, altas domos et latas areas comperare cum ex paupertatis suae professione omnes mundi delicias contemnere debuerint et eas denuo repetere sit praevicatio voti, nisi excusationis tegumen-



pro se habeant, quod pro debilibus et infirmis sustentandis et recreandis talia necesse habent quaerere et recipere et procurare quibus et sani ministrando et ea necessaria procurando collaborant. Conveniens enim videtur, ut socii possessionum sint et socii consolationum, et maxime, ut sani sint ex hoc magis ad laborem voluntarii et ipsi debiles eo audacius talibus utantur recreationibus, quo divina largitas tam abunde eas amministrat quod et alii secum inde consolentur . . . . .

Cap. VIII.

**De electione generalis ministri hujus fraternitatis  
et de capitulo pentecostes.**

*Universi fratres unum de fratribus istius religionis professum teneantur semper habere generalem ministrum, sub quo totus ordo quasi sub uno capite uniatur. Et servum totius fraternitatis in causis et laboribus, quos officium tale requirit, et ei teneantur firmiter obedire, quia non congrue regeret, quibus non posset imperare. Nota ex hoc, quod, si qui se ab ordinis obedientia sequestrent, etiam si ceteras observantias regulae quomodo servarent, tamen ordinis membra non essent nec securum statum salutis haberent. Quo decedente vel ab officio absoluto electio successoris fiat, non postulatio est, de gremio ordinis assumatur. A ministris provincialibus et custodibus in capitulo generali pentecostes, quia illo tempore anni fere de omnibus provinciis commodius valent convenire et inde ad loca sua redire, in quo provinciales ministri teneantur semper, nisi evidens excuset ipsos, veniant missi ab aliis, qui vicem eorum gerunt in electione vel absolute generalis ministri, si contigerit, ubicunque a generali fuerit constitutum habita consideratione utilitatis totius ordinis et hoc semel in tribus annis, ut parcatur anno distributionis (?) vel ad alium terminum majorem vel minorem triennio sicut a praedicto generali ministro cum consensu capituli fuerit ordinatum. Et si aliquo tempore apparet ex causis probabilibus universitati potioris partis ministrorum provincialium et custodum, ad quos spectat electio generalis ministri praedictum ministrum generalem non esse sufficientem et ex causis rationalibus non expedientem ad servitium et communem utilitatem fratrum in his maxime, quae ad animarum spectant profectum et regnum, teneantur praedicti fratres ministri et custodes quibus electio generalis ministri data est, a sede apostolica et romana in nomine domini innotata ejus gratia alium sibi et ordini eligere in custodem animarum suarum et generalem ministrum, qui custos dicitur, ut servet sibi commissos a malo, minister, ut promoveat in bono. Qui si forte recusaret officio*



cedere, ipso eo quod apparet insufficientis universitati electorum jam reputatur depositus, tum ex mandato regulae alium eligere teneantur nec ex timore vel furore privato liceat eis hinc mandato, quantum in eis est contraire. *Post capitulum vero Pentecostes celebratum ministri provinciales et custodes possint singuli simul convenire, si voluerint et eis pro statu provinciae ordinando vel corrigendo expedire videbitur, eodem anno et in aliis annis, quia quod non prohibetur permittitur, semel fratres scilicet commissos ad capitulum provinciale convocare juxta formam et numerum sicut ab eis fuerit constitutum.*

### Cap. IX.

#### De praedicatoribus.

*Fratres non praedicent aperte populo in episcopatu alicujus episcopi, qui sit legitimus pastor ecclesiae, cum ab eo illis, ne praedicent fuerit contradictum vel generaliter vel cum aliqua acceptione temporis et loci vel ceterum juxta tenorem contradicti, nisi dominus papa aliud mandaret, ut de praedicatione crucis vel simile. Et nullus fratrum populo aperte penitus audeat praedicare licet in capitulis vel collegiis religiosorum secreta posset facere exhortationes nisi a generali ministro hujus fraternitatis fuerit examinatus et approbatus de moribus, aetate, facundia et aliis expedientibus per se personaliter vel per alium seu per scripta vel bonum testimonium aliorum et ab eo officium praedicationis sibi concessum. Ista forma est regulae. Quod secundum autem declarationem domini Gregorii papae dicitur de instructis in theologica facultate, quod possint praedicare et secundum privilegium in provinciali capitulo examinari et licentiam ad praedicandum idonei, non prosequor, cum hoc sit de gratia sedis apostolicae speciali. Ubi vero fratres bonam haberent oportunitatem accedendi in ministrum generalem et ab eo officium praedicationis recipiendi secundum regulam, purius esset, et securius, cum ideo privilegium datum sit pro vitando discursu, ubi commode generalis minister haberi non posset . . . .*

#### Nachtrag zu S. 15 – 46.

In der Chronica anonyma, deren erster Teil wohl kurz nach 1280 abgefaßt ist (in den Analecta Franciscana, Quaracchi 1885, T. I, p. 290) findet sich folgende Stelle, die für das Todesjahr, die Schriften und die Charakteristik Davids von Wert ist: Mortuus etiam est anno 1272 devotissimus quidam frater David,



qui conscripsit libellum de exteriori et interiori homine secundum triplicem statum: incipientium, proficientium et perfectorum [vgl. Formula interioris hominis, cap. 10—15!] et brevem expositionem super regulam fratrum Minorum; is vitam scribitur duxisse innocentissimam. Hora obdormitionis eius revelata fuit fratri Bertholdo, Ratisbonae actu praedicanti, qui recommendans eum populo, hunc versum: „Qui pius, prudens, humilis, pudicus, sobrius, castus fuit et quietus, vita dum praesens vegetavit eius corporis artus“, in eius laudem recitavit.

## 2.

## Ein Ablafsbrief von 1482.

Mitgeteilt

von

Otto Clemen in Zwickau.

Einblattdruck auf Papier in zehn Exemplaren auf den Einbandinnenseiten der Bände I, II, 8; I, V, 4; I, V, 7; I, V, 8; I, XIV, 27 der Zwickauer Ratsschulbibliothek. Fehlerhaft abgedruckt bei Tobias Schmidt, *Chronici Cygnei pars posterior* (1656), p. 232 (vgl. Herzog, *Chronik der Kreisstadt Zwickau II*, 142). Dasselbe Formular liegt vor in dem von Joh. Nixstein am 21. April 1482 Herzog Wilhelm zu Sachsen und dessen Gemahlin Katharina ausgestellten Ablafsbrief in Kappens *Kleiner Nachlese etc. zur Erläuterung der Reformationsgeschichte III*, 73.

Pateat vniuersis presentes litteras inspecturis qualiter Deuot . . . . ad opus sancte cruciate contra impiissimos Thurcos crucis xpi et fidei xpiane inimicos per sanctissimum dominum nostrum dominum Sixtum divina prouidentia papam quartum ordinatum debitam fec . . . contributionem. Qua propter auctoritate prefati domini nostri pape potestatem habet eligendi confessorem presbiterum sibi ydoneum religiosum vel secularem qui audita diligenter e . . . confessione absolvere e . . . possit auctoritate premissa ab omnibus commissis per e . . . excessibus et peccatis quibuslibet quantumcunque enormibus etiam si talia forent prop-